



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreas Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

4. De divisione Donationis Propriam & Impropriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

§. IV.

De divisione Donationis in Propriam & Impropriam.

1. Donatio alia Propria est, eaque irrevocabilis regulariter.
2. Alia Impropria, qua ex causa fit: veluti propter nuptias.
3. Donatio causa dotis remuneratoria.
4. Et donatio, qua fit sub modo vel conditione.

Donatio, de qua dixi, proprie donatio est pura & simplex, quam scilicet donatur sine ulla causa, ex mera liberalitate ea mente pergit, ut nullo casu velit rem donatam ad se reverti.

1. Impropria donatio est, qua fit ob causam aliquam sub modo vel conditione. Ob causam, ut Donatio propter nuptias, Donatio causa dotis Donatio remuneratoria, Donatio causa mortis.

2. Donatio propter nuptias est, qua vir aliquid uxori dat, in vicem & securitatem dotis, ab ea, vel alio eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonii, acceptat. Et hoc olim vocabatur ante nuptias, neque post celebratas nuptias fieri poterat, cum prohibita esset donatio inter virum & uxorem. Hodie vero vocatur propter nuptias, quia Iustinianus Imp. permisit donationem huiusmodi non solum augeri constante matrimonio, sed etiam initium sumere: exemplo dotium, quae constante matrimonio non solum augentur, sed etiam fiunt de novo, l. ult. Cod. de donat. ante vel propter nuptias, §. Et alius generis Instit. h. t.

3. Donatio causa dotis est, qua fit marito ab uxore, vel ab alio eius nomine, pro sustinendis oneribus matrimonii, l. Pro oneribus & passim Cod. De iure dotat. Unde & constante matrimonio revocari non potest, nisi maritus ad inopiam vergat, vel bona eius fisco inferantur, l. Si constante juncti, l. Si marito D. Solutio matrimonii.

4. Donatio remuneratoria est, qua fit in vicem praestiti officii; unde irrevocabilis est, l. A. quibus Cod. Si pater 34. D. h. t.

5. Donatio sub modo est, qua aliquid cum certo modo, certa lege donatur, tot. Tit. Cod. de donat. qua sub modo. Et haec privato fa-

cta, si adiecto modo satisfactum non fuerit, a donatore impunè revocatur, l. ult. Cod. eod. Ceteroquin facta Ecclesiae non revocatur, ob modum non impletum, sed agitur ad ejus impletionem: nisi ipsi modo adiecta sit clausula revocatoria, haec vel similis. Et si modo non fuerit patitum, res donata repetatur, c. Verum inf. de condition. appositis.

§. V.

Quoniam donari possint.

1. Donare possunt rerum suarum plene domini.
2. Clerici proinde res Ecclesiae donare non possunt.
3. Nisi forte Episcopus construat & ariet Ecclesiam.
4. Limitatio hujus.

1. **P**ostremo generaliter de donationibus quaritur, qui donari possint; Omnes scilicet & soli domini, qui liberam bonorum suorum administrationem habent, cum potestate alienandi. Hinc furiosus, & prodigus, cui bonis est interdictum, propter furiosum exitum, quem talis in bonis suis facere dicitur, donare nequit. Similiter nec minor xxv. annis, licet sit rerum suarum dominus. Sed neque permissa est donatio coniugibus inter se, tot. Tit. Cod. de donat. inter vir. & uxorem; nec in vicem parentibus & liberis, in potestate constitutis, l. Cum de bonis 11. Et l. Si ve emancipatis 17. C. h. t. l. Donatores 25. Cod. de donat. inter vir. & uxorem. Licet his duobus casibus donatio morte donatoris convalescat, d. l. 17. Cod. h. t. l. 2. Cod. Si quis alicui vel sibi emerit. Sicut & juramento, c. Cum contingat sup. de iure iur. Gaill. 2. Observ. 38. Quin etiam donatio parentis in filium emancipatione confirmatur, d. h. 11. Et 17. C. h. t.

2. De Clericis vero hic specialiter quaeritur: quibus quidem de bonis propriis seu patrimonialibus & quasi patrimonialibus donare licet, quantum velint, vel alio quocunque modo disponere, cum eorum sint plene domini: verum res Ecclesiae, etiam cui servantur, donare non possunt, cum donatio sit species alienationis, ut dixi supra ad Tit. de rebus Ecclesiae non alienand. Adeo, ut ne quidem Episcopus aut quilibet Praelatus eas donare possit, cum